Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 369
Quelle:
Copyright:

tat imago rectius *orbis imago* &c. Ut adeo *Codex* hic ad restituendum integritati suae Poema in subsidium ceterorum XIII. recensitorum advocari debeat.

CCXXXIII.

R. 49 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 141. f. min. luculente scriptus, rubricis pernotatus, et prius *Monachorum Congregationis S. Justine de padua. deputatus Monasterio S. Seuerini de Neapoli*, ut ad oram inferiorem p. 1. dicitur, est *Aurora* illa, seu Paraphrasis metrica Bibliorum *Petri de Riga*, cujus X. Exemplaria jam priori Volumine retuli. Miniatus Titulus ita habet: *Incipit prolegus Magistri Petri Rege. Editoris libri. Deditione libri Et causa edendi.* Prosaicus videlicet ille, cujus Excerpta dedi ad *primum* Exemplar, quique inchoat: *Sodalium meorum petitio* &c. Ab hoc: *Incipit aurora et primo agit De. VI. diebus. Epylogus breuis ad quem sequitur narratio.* Itaque nulla, ut in aliis Exemplaribus, παρεγγα. Epilogus dictus infit: *Primo facta die* &c. Opus ipsum:

Principio celum terramque creasse refertur &c.

Ordo Librorum est *Pentateuchus*, in quo initio *Levitici* Distichon illud: *Vox autem domini moysen vocat* &c. bis ponitur, ut jam alias notatum est, *Josue*, *Judices*, *Ruth*, *Regum* LL. IV. *Cantica*, *Job*, *Tobias*, *Judith*, *Esther*, *Machabaei*, *Daniel*, in quo Vetus Testamentum terminatur. Nulla igitur *Oracula Prophetarum*, nullae *Recapitulationes* &c. Novum Testamentum incipit *fol.* 130.

Post legem ueterem respira petre. refulget &c.

et solam *Historiam Evangelicam* complectitur, neque eam integram; abrumpitur enim jam in Sermone Domini in monte his versiculis:

Sed tradunt alij non sermonem nisi solum
Prolatum turbis discipulisque simul.

Hoc igitur Exemplar nec ex integerrimis est, neque *Aegidii Paris.* Interpolationes continet. Compara illud, si lubet, cum iis, quae priori Volumine indicata sunt, et hic ad IV. Codices observantur.

CCXXXIV.

Codex membraneus lat. Sec. R. 2003 XIV. Folior. 51. f. maj. per duas columnas eleganter scriptus, rubricis comtus, et folio praevio haec referens: *Iste liber datus est Cartusiensibus prope pragam cum*